

149. PROPOSITIO. 2.^A Quaecumque docebant Scholastici circa elementa mixtaque corpora, sepositis iis, quæ ad doctrinæ substantiam minime pertinent, nec certis ullis Chimiæ recentioris inventis, nec sanæ rationi contradicunt.

Prob. Etenim hæc sunt, quæ ad substantiam illius doctrinæ pertinent, existentia corporum quorundam, quæ possunt, aliorum autem, quæ nequeunt resolvi in alia specificè diversa corpora; specificæ distinctio tum elementorum inter se, tum etiam mixtorum ab ipsis; generatio novæ naturæ in mixtis corruptioque naturæ elementorum, remanentibus tamen dispositionibus ac virtutibus, quæ iterum determinent activitatem aliarum causarum ad productionem pristinarum naturarum in resolutione chimica mixti. Atqui primum horum est ipsissima doctrina communis Physicorum de existentia corporum simplicium et compositorum, rite intellecta; reliqua vero probata fuisse in primo capite hujus disputationis. Ergo...

Quæ vero a pluribus oggeruntur de numero ac situ proprio quatuor elementorum vulgatorum, terræ videlicet, aquæ, aëris et ignis, de mutua eorum transmutatione, de influxibus cælorum in mixtorum generatione, de quatuor illis qualitatibus primis humiditatis, siccitatis, caliditatis ac frigiditatis, deque aliis ejusdem, quæ unice videntur in libris Peripateticorum nonnulli legisse; essentialia non sunt, neque objici serio possunt nisi ab iis, qui aut imperitam multitudinem decipere, aut invidiam facere volunt gravissimis causis, quas firmiteribus argumentis nequeant oppugnare.

ARTICULUS III.

Quid et qualis sit materia prima.

150. Ostensa existentia materiæ ac formæ, ratio postulat, ut ad earum naturam ac proprietates paulo accuratius enucleandas stilium convertamus.

§ III.—NOTIO MATERIE PRIMÆ.

Ac primo quidem non minus candide, quam pulchre, S. Agustinus describit difficultatem, quam expertus fuerat

in materia prima intelligenda, cum in duodecimo libro *confessionum* (1) ita Deum alloquitur: *Ego, Domine, si tolum conflear tibi ore meo et calamo meo, quidquid de ista materia docuisti me, cujus autem nomen audiens et non intelligens, narrantibus mihi eis, qui non intelligerent, eam cum speciebus innumeris et variis cogitabam. Fædas et horribiles formas perturbatis ordinibus volebat animus, sed formas tamen; et informe appellabam, non quod careret forma, sed quod talem haberet, ut si appareret, insolitum et incongruum aversaretur sensus meus, et conturbaretur infirmitas hominis. Verum autem illud, quod cogitabam, non privatione omnis formæ, sed comparatione formosiorum erat informe; et suadebat vera ratio, ut omnis formæ qualescumque reliquias omnino detraberem, si vellem prorsus informe cogitare, et non poteram; citius enim non esse censebam, quod omni forma privaretur, quam cogitabam quiddam inter formatum et nihil, nec formatum nec nihil informe, prope nihil. Eam tamen difficultatem vicit S. Doctor, divino illustratus lumine, ut ipsemet fatetur tum hic, tum etiam in ejusdem libri capite tertio. Ideoque gratias Deo agit de hoc beneficio verbis iis, quæ in præcedenti articulo exscriptisimus.*

Majorum ergo vestigia prementes, triplicem juvat materiæ primæ exponere descriptionem: α) primam per analogiam: β) negativam alteram: γ) tertiam positivam.

α) Per analogiam possumus declarare materiam primam, dicentes eam se habere respectu formæ substantialis, sicut se habet artefactorum materia respectu formæ artificialis, v. g. marmor respectu statuæ. Hanc descriptionem reperies apud Philosophum in libro primo *Physicorum*, quem sic explicat S. Thomas: *Natura, quæ primo subjicitur mutationi, id est materia prima, non potest sciri per se seipsam, cum omne quod cognoscitur, cognoscatur per suam formam, materia autem prima consideratur subjecta omni formæ; sed scitur secundum analogiam, id est, secundum proportionem. Sic enim cognoscimus, quod lignum est aliquid præter formam scanni et lecti, quia quandoque est sub una forma, quandoque sub alia. Cum igitur videamus hoc, quod est aër, quandoque fieri aquam, oportet*

Prima descriptio
materiæ:

(1) Cap. 6.

dicere, quod aliquid existens sub forma aëris, quandoque sit sub forma aquæ; et sic illud quod est aliquid præter formam aquæ et præter formam aëris, se habet ad ipsas substantias naturales, sicut se habet æs ad statuam, et lignum ad lectum, et quodlibet materiale et informe ad formam: et hoc dicimus esse materiam primam (1).

altera materie
descriptio,

β) Negativa descriptio explicat, quid non sit materia prima: nimirum, ut loquamur cum Aristotele, materia secundum se ipsam neque quid, neque quantum, neque aliquid aliud eorum dicitur, quibus ens determinatur (2). «Non est quid, inquit P. Lossada (3) id est non est ens completum seu compositum substantiale, quod solum Aristotelica locutione

(1) S. Thom. in 1.^o lib. *Physic.* lect. 13. Neque aliter in 7. *Metaphysicor.*, lect. 2.

(2) Λέγω δε ὕλην, ἣ καὶ αὐτὴν μήτε τι, μήτε ποσόν, μήτε ἄλλο μὴδὲν λέγεται, οἷς ὁρίσται τὸ ὄν. Arist. (*Metaphys.* lib. 7, cap. 3, text. comm. 8). Vide S. Thom. (ibid. lect. 2, paragr. e.) De qua definitione sic scribit Laurentius Moshemius in suis notis ad Cudworthi *Systema intellectuale*, cap. 5, sect. 2, n. XXVII. «Non me præterit, quantis hæc descriptio rixis et altercationibus inter ipsos Stagiritæ sectatores, quantis apud eos clamoribus et cavillationibus, quibus philosophandi ejus ratio displicuit, locum et occasionem prebuerit. Vide ex multis Dan. Georg. Morholii *Polyhist.* tom. 2, p. 1, c. 12, p. 226. Ego vero utrosque putem quiescere potuisse. Nihil dixit Aristoteles præter id, quod multi ante eum alii eximii viri præceperant, quodque a magistro suo Platone traditum acceperat, materiam extra corpora et in se spectatam omnibus illis carere affectionibus et proprietatibus». Et paulo inferius. «Cum superiori sæculo, inquit, peripatetica de natura philosophandi forma e scholis nostris eiceretur, et in ejus locum corpuscula et leges mechanicæ sufficerentur, dogma hoc præ cæteris explosum et summæ dementiae postulatum fuit. Materia Peripateticorum et Platoniorum, summi viri dicebant, incomprehensum est nescio quid, caret ea forma, caret quantitate, caret qualitate, a corpore plane divisa est, nec tamen spiritus est. Quid ergo est? Ego vero mihi prope persuado, qui tam acriter in hoc dogma inveci sunt, viri ceteroquin meis laudibus superiores, verba potius et vocabula, quibus illud exponi solet, spectasse, quam rem ipsam... Non putem hoc dogma tam absurdum et ineptum esse, ut aures statim sapientium ad auditum ejus ocludende sint, modo vocabula seponat, quibus id exponi solet, et inanes questionuculas, quas homines quidam justo acutiores cum eo conjunxerunt, a summa rei sejungat».

(3) *Curs. Philos.* tom. 2, tract. 1, disp. 2, cap. 2, n. 2.

dicitur absolute quid, et hoc aliquid (1). Non est quantum, id est, non est quantitas; solet enim Aristoteles, cum de accidentibus loquitur, concreta sumere pro abstractis. Non est aliquid eorum etc., id est ullum ens eorum, quæ in decem prædicamentis numerantur, quia neque est ullum accidens nec substantia prædicamentalis, cum non nisi substantia completa directe pertineat ad prædicamentum substantiæ. Vel potius illa verba sic intellige, ut materia non sit ulla forma substantialis vel accidentalis, nam formæ istæ sunt, quibus ens determinatur ad hanc vel illam speciem physicam. Denique non est negationes, aut privationes istorum entium, quia est entitas positiva» (2).

Hoc eodem sensu quoad rem ipsam locutus fuisse plures antiquos Philosophos, Stagiritæ tum seniores tum juniores, narrat eruditissimus vir Laurentius Moshemius (3). Sed reliquis omissis unus loquitur Magnus Augustinus: *Nonne tu Domine, docuisti banc animam, quæ tibi confitetur? Nonne tu, Domine, docuisti me, quod priusquam istam informem materiam formares, atque distingueres, non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus? Non tamen omnino nihil. Erat quædam informitas sine ulla specie (4) Et alibi. Mutabilitas rerum mutabilium, ipsa capax est formarum omnium, in quas mutantur res mutabiles. Et hæc quid est? Numquid spiritus? numquid corpus? numquid species animi vel corporis? Si dici posset Nihil aliquid, et Est non est, hoc eam dicerem...» (5).*

(1) Hoc aliquid dicitur proprie individuum in genere substantiæ S. Th. Qq. disput., quæ de Anim., art. 1. Dicitur... hoc aliquid, id est aliquid demonstratum, quod est completum in esse et specie; et hoc convenit soli substantiæ compositæ in rebus materialibus. S. Th. lib. 2 de Anima, lect. 1, paragr. b. Vide *Ontolog.* n. 280, pag. 815.

(2) Cfr. S. Thom. lib. 7. *Metaphysicor.* lect. 2, paragr. e.

(3) Loc. sup. cit.

(4) Lib. 12. *Confession.* c. 3. Quibus relatis verbis: «Tantæ sunt opinioinum humanarum vicissitudines! inquit idem Moshemius (loc. cit.). Quod Augustinus non dubitat divinum appellare dogma, quod nullum capere posse tradit, nisi Dei clementia illuminetur, et erudiat, quod in maximis denique ponit beneficiis a Deo acceptis, id recentiori memoria insulsum, ineptum, stultum, fanaticum, a ratione omni aversum vocatum est.»

(5) Lib. 12. *Confess.* cap. 6. Ejusdem S. Doctoris est hæc alia sententia. «Sed hylen dico quamdam penitus informem et sine

eria descriptio
materie primæ

7) Positiva demum materie descriptio continetur illis Philosophi verbis: *Dico materiam primam subjectum uniuscujusque, ex quo fit aliquid, cum insit, non secundum accedens; et si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum* (1). «Dicitur autem *subjectum uniuscujusque*, quia in qualibet substantia subjicitur formæ, cum qua constituit totum per se, et accidentibus, cum quibus constituit totum per accidens.» Dicitur *primum*, ut distinguatur a materia secunda. Dicitur *ex quo fit aliquid cum insit*, hoc est, ex quo inexistente, seu ex quo tamquam ex principio intrinseco quodlibet corpus componitur. Dicitur *et non secundum accedens*, quia totum fit ex subjecto per se, et tamquam ex parte substantiali totius. Denique additur *et si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum*, quia quælibet substantia, quæ corrumpitur, resolvitur in materiam primam, omni corruptioni superstitem, adeoque retinentem in generatione rei, quæ fit, rationem subjecti (2). Materia porro intelligitur subjectum, non inhæsiōnis, sicut substantia est subjectum accidentium, sed sustentationis vel informationis, quod jam in *Ontologia* descriptum reliquimus (3).

Definitio
materie primæ

Quæ cum ita sint, definiri poterit materia prima: «*substantia incompleta (sive partialis) apta constituere corpus naturale (nempe totum substantiale corporeum) cum alia substantia incompleta, tamquam primum subjectum*. Hæc ultima verba explicant differentiam materiæ primæ a forma substantiali: cetera discernunt ipsam ab omni accidenti, privatione et composito» (4). Materia est *substantia*, quia revera est realitas non indigens alio tamquam subjecto, cui inhæreat, et

qualitate materiam, unde istæ, quas sentimus, qualitates formantur, ut antiqui dixerunt. Hinc etiam et sylvæ græcæ ὄνη dicitur, quod operantibus apta sit, non ut aliquid ipsa faciat, sed unde aliquid fiat. Nec ista ergo hyle malum dicenda est, quæ non per aliquam speciem sentiri, sed per omnimodam speciei privationem cogitari vix potest... Lib. de Natura boni contr. Mancihæos, cap. 18. Adde, si lubet, lib. 12 Confession. c. 5.

(1) In 1.^o *Physicor.* cap. 9, text. 82. Egregium hujus descriptionis commentarium reperies apud P. Alamanni, *Summa totius Philosophiæ... Prima secunda*, quest. 7, art. 14.

(2) P. Semery, *Trienn. philos.* tom. 2 disp. 2, q. 1, art. 1.

(3) Vide num. 275, pag. 798; 799.

(4) Lossada, *Curs. Philos.*, secund. part., tr. 1, disp. 2, cap. 2, n. 5.

constituens primum esse ac substantiale entis completi: idque sæpius docet S. Thomas (1) cum Aristotele. Est incompleta, quia ut constat ex probationibus, unde illius existentiam ostendimus, ipsa sola non constituit corpus, sed simul cum alio actu specifico, qui in substantiali mutatione perit, adveniente novo actu vel forma, cum qua materia novum constituit corpus: quare materia ex se incompleta substantia est, atque adeo natura sua ordinatur ad constituendum corpus simul cum forma (2); est denique *primum subjectum*, quia est sustentaculum mutationum omnium, et si quod aliud subjectum prius haberet, jam non esset materia prima.

Ex conditione subjecti, quæ competit materiæ primæ sequitur eandem esse *puram potentiam*, quemadmodum communiter tenet Peripateticorum schola. Quod celeberrimum dogma ut intelligas, certaue ab incertis et valde controversis secernas, nota triplicem esse posse potentiam et triplicem pariter actum, qui potentiæ opponitur relative. Alia enim est potentia *activa*, seu facultas et vis agendi, alia potentia *passiva*, seu *physica*, seu *subjectiva*, seu etiam *receptiva*, quæ est capacitas in se recipiendi aliquem actum et formam realem physicam; tertia tandem est potentia *logica* vel *objectiva*, quæ nihil est aliud, quam mera non repugnantia ad existendum. Ita ignis habet potentiam activam ad comburendum,

Materia dicitur
pura potentia:

(1) Vide Arist., (*Metaph.* lib. 7, c. 3, 10, 13; lib. 8, cap. 2; 2.^o de Anima, c. 1, text.). S. Thom. (in lib. 7.^{um} *Metaphys.*, lect. 2, lect. 9, lect. 13; in lib. 8, lect. 2; de Anima, lib. 2, lect. 1). Bene tamen observant auctores rationem substantiæ diversimode convenire composito ac substantiæ complete et substantiis incomplectis, ut colligitur etiam ex citatis locis. Unde dicitur etiam in prædicamento substantiæ solam completam substantiam reponi *directe*, substantias vero incompletas, materiam et formam, solummodo *indirecte*. Cfr. S. Thomas, (quest. de Anima, a. 1, in corp. initio, et art. 12, paulo post initium). Itaque si nomen substantiæ sumatur latissime ac transcendentaliter pro omni entitate non accidentali, procul dubio materis substantia est, secus vero si pressius accipiatur pro ea realitate completa, quæ in prædicamento substantiæ directe constituitur. Et sic poteris etiam formulas loquendi in speciem oppositas conciliare. Cfr. *Ontolog.*, n. 277, pag. 804, 805; et n. 278, pag. 810 seqq.

(2) Vide Suar., (disp. *Metaph.* 13, sect. 3, a. n. 8), ubi fuse et egregie ostenditur, materiam non esse substantiam aliquam integram et completam in essentia et specie substantiæ.

paries potentiam physicam recipiendi albedinem, et homo, antequam existat habet objectivam potentiam ad existendum. Actus respondens potentiae activae est operatio; potentiae physicae, forma sive substantialis sive accidentalis; potentiae demum logicae, actus qui a pluribus vocatur *entitativus* et *metaphysicus*, nimirum actualis essentia et existentia, sive re inter sese distinguantur, sive non. Porro ejusmodi potentia tunc pura dicitur, cum nullum habeat admixtum sive actum relative oppositum.

in quo tenet
id verum habeat.

Formula ergo illa, qua materia dicitur *pura potentia*, non est intelligenda, ut patet, de potentia activa. Neque etiam puto ullam esse controversiam de potentia physica seu receptiva, quam diximus relative opponi actui physico informativo. In hoc sensu materia est *pura potentia*, neque enim est actus ordinatus ad informandum aliquod subjectum, cum ipsa sit primum subjectum, neque est potentia admixta ejusmodi physico actui, seu compositum ex actu et potentia; si enim subjectum substantialium mutationum constaret et ipsum ex actu et potentia, non totum ejusmodi compositum, sed sola potentia vel subjectum ejus foret materia prima. Materiam itaque hic consideramus praecisam ab omni actu vel forma: sic autem est vere primum subjectum, nec continet in se actum vel formam, sed est fundamentum et sustentaculum omnis formae. Audiatur Angelicus: *Id communiter materia prima nominatur, quod est in genere substantiae, ut potentia quaedam intellecta praeter omnem speciem et formam et etiam praeter privationem, quae tamen est susceptiva et formarum et privationum, ut patet per Augustinum lib. 12. Confess. et 1.^o super Gens. ad litt. c. 14 (1)*. Itaque materia est *pura potentia* physica seu subjectiva, id est, non est actus quidam ad aliud actuandum destinatus, neque est compositum ex actu aliquo physico seu forma et alia priori materia; sed est entitas essentialiter incompleta et ordinata ad recipiendum actum formae substantialis, a quo compleatur in ipso *esse* substantiali: aliis verbis materia nec est forma aliqua physica, nec formam in sua entitate includit, sed est realitas formae receptiva.

(1) S. Thom. quest. de spirit. creat., art. 1.

Præterea manifestum est etiam, materiam non esse puram potentiam, quatenus eo nomine significetur, materiam esse aliquid *mere possibile mereque non repugnans*, cum sit verum principium entis realis in *facto esse*. Unde non est omnino nihil, quamvis revera sit *prope nihil, nihil aliquid, informitas sine specie, Est non Est*, quemadmodum loquitur S. Augustinus (1), ac Doctor Angelicus tribuit illi aliquid *esse debile* ac proprium potentialitatis, ex quo *similitudinem quamdam retinet divini esse, et potest secundum se ac separatim considerari* (2). Unde *materia est prope rem, et est aliquid, quia est in potentia ad rem, et est aequaliter substantia rei, quia intrat in compositionem substantiae* (3).

Materia
non est aliquid
pure possibile.

Certum pariter esse debet materiam ex sese *formaliter* (4) habere hanc qualemcumque debilem entitatem. Quidquid enim non est pura chimæra, entitas aliqua est, sive completa sive incompleta, essentiamque aliquam habeat, oportet. Perfecto materia non habet per actum formae hoc, quod sit materia, quod sit subjectum et potentia physica, formae substantialis receptiva. Nec a forma tribuitur materiae illud *esse debile* nihilo valde proximum, illam *informitatem sine specie*, quae tamen sit *aliquis imitatio divini esse*, sed tribuitur dumtaxat *esse corporis, esse completum*. Eo vel magis quod si materia seipsa formaliter non esset utcumque aliqua entitas, totamque suam realitatem acciperet per actum formae, non esset in composito major perfectio, quam solius formae, formaque esset tota compositi quidditas, nec intelligi posset, quomodo corpus resultaret ex duobus principiis physicis realiter inter se distinctis (5).

net caret sua
qualemcumque
entitate
et essentia.

(1) Lib. 12. Confess. c. 3. 6.

(2) Vide S. Thom. 1. p. q. 14. art. 11 ad 3.^{um}; de Verit. quest. 3. art. 5. ad 1.^{um}, ad 3.^{um}, et in fin. corp.; 2.^o Contr. Gent. c. 16. in fin., item materia prima, etc.

(3) S. Thom. 1.^o Physicor. lect. 15, paragr. b., cum Aristotele ibid.

(4) *Formaliter*, inquam, non *efficienter*, nam in genere causae efficientis habet a Deo suam illam qualemcumque entitatem, ut planum est.

(5) Cfr. Suarez (disp. Metaph. 13, sect. 4. n. 2-6, et n. 8-13), Casm. Alan. anni / Summa Philos., Prima Secundae, quæst. 4, art. 2).

Nec te moveat, quod Doctor Angelicus videatur quandoque negare materiæ essentiam, ut cum in Opusculo de Ente et essentia, capite secundo scribit; *Quod materia sola non sit essentia, planum est...* Quibus similia sunt hæc verba; *sed materia dicitur, quod habet esse ex eo, quod sibi advenit, quia de se esse incompletum, immo nullum esse habet, ut dicit Commentator* (1). Hæc enim eo sensu intelligi nequeunt, ut materiæ omnem entitatem qualemcumque denegent, quemadmodum patet ex dictis. Cum potissimum S. Doctor simili modo loquatur de ipsa forma: *Neque etiam forma tantum substantiæ compositæ essentia dici potest, quamvis quidam hoc asserere conentur* (2); et alioquin sæpissime scribit formas materiales non esse, sed per eas compositum (3). Sensus ergo Angelici est, non quod nec materia nec forma habeant aliqualem essentiam, sed quod non habeant completam, et quod ad unam completam essentiam constituendam natura sua ordinentur, ut expresse loquitur in eodem opusculo de Ente et Essentia (4).

Utrum
materiæ primæ
habeat actum
entitativum.

Non est autem æque certum, utrum materia pariter habeat ex se formaliter existentiam sibi propriam, an vero eandem accipiat per actum distinctum ac sibi superaditum, nimirum per existentiam formæ. Quæ causa est, cur Auctores, cum quaeritur, num materia sit quoque pura potentia in eo sensu, ut nullum habeat ex sese formaliter actum etiam entitativum ac metaphysicum, in diversas abeant sententias. Quamquam crediderim controversiam hanc partim esse de voce, partim de re, prout sermo sit vel de illa qualicumque entitate essentiae non pure possibilis, qua gaudet materia, vel de ipso actu existentiae. De voce solummodo litigatur, si quaeritur, utrum materia ob actualem essentiam, quam habet distinctam a forma, dici possit esse

(1) Opusc. de Principiis naturæ, paulo post init.

(2) De Ente et essent. cap. 2. Cfr. de Potent. quest. 3, art. 11, ad 11.^{um}

(3) Vide v. g. *Metaph.* lib. 7, lect. 7 et 8; lib. 12, lect. 3; de Potent. quest. 3, art. 8; 1 p. quest. 65, art. 4; de Sensu et sensat., lect. 10; *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 34, et alibi.

(4) Cap. 1. Cfr. etiam de Verit., quest. 3, art. 5. *Ad primum quod in contrarium*, in fin.

aliqua actualitas entitativa, vel habere aliquem actum entitativum, ideoque in eo sensu non sit pura potentia. Itaque inter eos, qui materiam primam independentem a formæ influxu et causalitate existimant esse aliquid reale et physicum non vero purum nihil aut ens mere possibile; nullum de re videtur dissidium debere intercedere, quod attinet actum entitativum actualis essentiae. De re vero litigatur, si quaeritur, utrum materia suam quoque propriam existentiam habeat, an existat per actum existentiae formæ. Plures enim censent materiam ex se nullam habere existentiam, sed existere in composito per ipsam existentiam formæ, ita ut licet in composito sit duplex essentia seu quidditas partialis, altera materiæ et altera formæ, existentia tamen sit unica et simplex, quæ a forma dimanans, totum compositum existere faciat, materiamque simul et formam reddat existentes, quemadmodum refert Lossada (1). Hæc est communis opinio Thomistarum (2) cum Cajetano (3), Ferrariensi (4), Soncinæ (5), et Capreolo (6) quibus ad stipulatur e nostra Societate P. Sylvester Mauri (7), et quidam graves scriptores hodierni. Alii nec numero nec auctoritate minores contendunt materiam non existere per ipsam existentiam formæ sibi communicatam, sed per propriam ac peculiarem partialem existentiam, quamvis eam non habeat nisi dependenter a forma, ut explicat Eximius Doctor (8). Ita docent communiter Scotistæ (9), et Nostrî etiam cum Molina, Vazquez, Valentia,

(1) Op. cit. tom. 2, disp. 2, cap. 3, n. 37.

(2) Vide Complutens (*Physic.* disp. 3, quest. 2), Joann. a S. Thoma (*Physic.* quest. 3, art. 2), Goudin (*Physic.* disp. 1, quest. 2, art. 2), Massius (*Physicor.* cap. 9, sect. 2, quest. 6), Joann. Martínez de Prado (*Quæstiones Philosophiæ naturalis*, lib. 1, *Physicor.*, quest. 7), Salvatorem Mariam Roselli (*Summa philos.* tom. 2, quest. 3, art. 12).

(3) In opusc. de Ente essent. cap. 5, quest. 8.

(4) In lib. 1.^{um} *Cont. Gent.* cap. 4, et 1.^o *Physicor.* quest. 1.

(5) *Metaph.* lib. 7 quest. 17; lib. 8, quest. 1.

(6) In 2.^o dist. 13, quest. 1.

(7) *Quæst. philos.* tom. 2, quest. 7.

(8) *Disp. Metaph.* 13, sect. 4, n. 13.

(9) Vide Mastrium (*Physic.* disp. 2, quest. 2, art. 2), Pontium (*Physic.* disp. 3, quest. 3, 4, 5), Frassen (*Physic.* sect. 1, quest. 1, et 2), etc.

Suarez (1) Fonseca (2) Toletus (3), quos reliqui fere antiqui sequuntur uno agmine (4).

Sententia
Auctoris.

Quæ sententia mihi quoque probabilior videtur, nec multis probanda est, supposita, quam in *Ontologia* ostendimus, reali identitate actualis essentiae et existentiae. Sane materia sua gaudet aliqui essentia contradistincta ab essentia formæ. Atqui essentia quævis physica secum identificat existentiam. Ergo materia suam habet existentiam peculiarem ac propriam, non vero existit per ipsam formæ existentiam sibi communicatam. Verum sicut essentia materiæ completa non est, ita nec existentia; et sicut essentia materiæ substantialiter unita essentiae formæ constituit essentiam completam corporis, ita etiam existentia corporis non est sola existentia

(1) Disp. *Metaph.* 13, sect. 4, 5.

(2) *Metaph.* lib. 8, cap. 1, quæst. 1.

(3) Cardin. Franciscus Toletus (*Physicor.* lib. 1, quæst. 13).

(4) Vide Ant. Rubium (*Commentar.* in 8 lib. *Arist. de Physico Auditu*, lib. 1, p. 1, tr. 3), Conimbricenses (*Op. cit. de Physico Auditu*, cap. 9, quæst. 6, art. 2 et 3), Cosmum Alamanni (loc. cit., *Prima secunda*, quæst. 3, art. 2), Franciscum Suarez Iustanum (*Curs. Philosoph.* t. 2, tract. 1, disp. 2, sect. 2), Franciscum Ignatium Peynado (*Disputationes in 8 libros Physicor.*, lib. 1, disp. 2, sect. 3), Bartholomæum Amicum (*In Aristot. lib. de Physico Auditu*, tract. 5, q. 4, dub. 3), Petrum Hurtado (*Commentar. in univ. Philosoph. Physic.*, disp. 2, sect. 6), Benedictum Pererium (*Op. cit.* lib. 5, cap. 13), Franciscum Alphonsum (*In libros Physicor.* disp. 2, sect. 6), Rodericum Arriaga (*Cursus Philos. Physic.*, disp. 2, sect. 5, subsect. 3), Franciscum Oviedo (*Cursus Philos., Physic.*, controversia 2, punct. 5), Thomam Compton Carleton (*Philosophia universa, Physica*, disp. 9, sect. 1), Richardum Lynceum (*Universa Philos. Scholast.*, t. 2, *Physic.* tract. 2, cap. 3), Balthasarem Tellez (*Summa Philosophia*, pars 2, disp. 22, sect. 2), Joannem Bapt. de Benedictis (*Physic.* lib. 1, q. 2, c. 2), Georgium Rhodes (*Cursus Philos.* lib. 2, disp. 1, sect. 2, paragr. 4), Gabrielem Beati (*Natura in arcum coacta, seu Quadrupartitum universæ Philosoph. Compendium*, t. 2), Joannem de Ulloa (*Physica Speculativa*, disp. 1 cap. 4, n. 101, seqq.), Antonium Bernardum Quiros (*Cursus Philosoph. integer Physic.* tract. 3, disp. 40, sect. 4 et 5), Antonium Cordeyro (*Cursus Philos. Conimbricensis, Physica*, part. 2, tr. 1, disp. 3, q. 1), Andream Semery (*Op. cit.*, t. 2, disp. 2, q. 3), Ludovicum Lossada (*Op. cit., Physic.*, tract. 1, disp. 2, c. 3), Antonium Mayr (*Philos. Peripat. Parte 2.*). Ete recentioribus cl. P. Pesch (*Philosoph. natur.* n. 220), et alii.

formæ, sed coalescit ex partialibus existentis formæ ac materiæ invicem unitis.

Cæterum, quia materia adeo est infirmæ imperfectæque entitatis, ut saltem naturaliter esse nequeat in rerum natura, nisi actuata per formam, recte dicitur materia eam ipsam partialem existentiam sibi propriam non habere nisi dependenter a forma; sicut ipsam entitatem suam non habet, nisi quodammodo dependenter a forma, quia nempe neque essentiam neque existentiam suam potest naturaliter retinere, nisi conjunctam essentiae atque existentiae formæ (1). Quamvis ergo materia prima sit pura potentia, quatenus potentia opponitur actui physico informativo; non est autem pura potentia, quatenus potentia excludit entitatem actualem physicam et realem contradistinctam a potentia objectiva; siquidem materia ut possit facere veram cum forma substantiali compositionem, oportet, ut sit in se ipsa aliquid non pure possibile, sed reale atque adeo existens existentia partiali, suæ imperfectissimæ entitati consentanea. Ideoque tota ejus actualis realitas in eo consistit, quod sit physica potentia receptiva vel informabilis. Et hactenus de hac quæstione, quæ fere præjudicata et soluta manebat ex dictis in *Ontologia* circa distinctionem essentiae ab existentia (2).

151. **Objic. 1.^o** Per existentiam fit quodvis ens in actu. Ergo si materia suam habet existentiam ab existentia formæ distinctam, materia et forma erunt duo ens in actu. Atqui ex duobus vel pluribus entibus in actu non potest unum per se ens existere. Ergo secundum nostram sententiam nullum corpus erit re vera ens per se unum.

Resp. dist. antec. Per existentiam fit quodvis ens in actu, sive completo sive incompleto, *conc.*, in actu completo; *subdist.*, per existentiam completam, *conc.*; per existentiam partialem, *neg.*

Neg. conseq. tum quia materia, cum non habeat nisi partialem existentiam, nequit dici ens simpliciter in actu;

(1) Vide Suar., disp. *Metaph.* 13, sect. 4. Cfr. *Ontolog.* nostra, num. 412, pag. 1171, et n. 256, pag. 743, 744.

(2) Plura dabant Suarez, Lossada cæterique auctores nuper citati. Et recole, quæ in *Ontologia* scripta sunt n. 412, pag. 1170 seqq.

tum quia materia et forma sunt substantialiter unitæ, nec possunt aliter esse saltem naturaliter, ac proinde nullatenus sunt, nec dici queunt duo entia in actu, sed unum simpliciter ens.

*Contra*dist. Minor. subsumpt. Ex duobus entibus in actu completis quoad esse et speciem, *conc.*; ex duobus, quæ completa non sunt quoad esse et speciem, sed uniuntur, et ordinantur ad completum esse completamque speciem constituendam, *neg.* (1). Undenam enim id probas? Cur quemadmodum entitates materiæ et formæ sunt incompletæ, ac natura sua ordinantur ad unam essentiam et speciem conflandam; ita etiam existentia utriusque partiales et incompletæ non possunt unam compositam existentiam totius corporis efficere? An dices id ex eo vetari, quod existentiam sit ultima rei actualitas in linea entis, atque adeo materia nequeat suam habere existentiam formæ, nisi eo ipso desinat esse potentia receptiva alterius actus? Verum quomodo existentia dici possit, vel non, ultima rei actualitas in linea entis, explicatum manet in Ontologia (2).

Objic. 2.^o Si materia non est pura potentia, vel erit actus quidam, vel composita ex potentia et actu, eoque substantiali. Si primum, non poterit esse potentia substantialis. Sin alterum, erit ens simpliciter et completa substantia, nec proinde forma indigebit ad existendum in rerum natura.

Resp. neg. Majorem quoad utrumque membrum. Nam cum materia secum identificent partialem existentiam, re vera non componitur ex potentia et actu, nisi solum secundum mentis considerationem; ac proinde est quidem realitas quædam actualis, seu non pure logica vel objectiva, non autem constat proprie actu et potentia, nec dici potest habere actum nisi entitativum et metaphysicum, non autem physicum.

Instabis 1.^o Nihil potest esse actuale, nisi per actum. Ergo si materia est actualis realitas, vel est actus, vel actu constat.

Resp. dist. antec. Nihil potest esse actuale, nisi per actum re vel ratione sola distinctum, *conc.*; re distinctum, *subdist.*

(1) Cfr. *Ontolog.*, n. 231, pag. 641, 652; n. 283, pag. 826 seqq.

(2) Num. 252, pag. 716.

Nihil potest esse actuale, si actuale sumatur per oppositionem ad pure possibile, quatenus sensus sit nihil posse esse in rerum natura et extra statum puræ possibilitatis, nisi per actum re distinctum, *neg.*; aliter, *trans.*

Instabis 2.^o Materia etiam dicatur actu gaudere solum entitativo ac metaphysico, si habeat existentiam constituitur per illum ens simpliciter ac substantia actualis; id enim proprium est actus entitativi. Atqui repugnat materiam esse ens simpliciter et actualem substantiam: secus enim materia per se ipsam esset ens completum, nec indigeret proinde forma substantiali distincta, vel certe per adventum formæ non generaretur ens simpliciter, sed tantum ens secundum quid; quandoquidem quidquid advenit enti in actu completo constituto, accidens est, nec potest cum illo ens simpliciter efficere.—*Resp. neg.* Major., semper enim adversarii chorda oberrant eadem. Si enim entitas physica, quæ ab omnibus necessario concedenda est materiæ, ne sit aliquid pure possibile, non officit quod compleatur substantialiter per formam, et fiat unum simpliciter cum illa; cur non potest idem dici, quamvis entitas illa physica materiæ ponatur identificata cum sua existentia? Nam munus existentia non est, fatentibus omnibus, ipsam entitatem rei complere substantialiter; secus enim non distingueretur actus existentia ab actu formæ. Sed munus existentia est tantum entitatem actuare seu actualem facere, vel extra statum puræ possibilitatis extrahere: quare ipsam rei entitatem intactam, ut ita dicam, relinquit, nempe incompletam, si ex seipsa sit incompleta, ut est materia prima (1). Donec ergo probent adversarii actum existentia eundem effectum formalem habere ac formam ipsam, complendo nempe substantialiter materiam, jus nobis est negandi materiam per actum metaphysicum vel entitativum, qui eidem concedatur, reapse constitui ens simpliciter vel actualem substantiam completam. Fatemur enim sincere contrarium principium, quod obtruditur, nobis evidens non esse, nec verum videri, nec posse proinde admitti, donec probetur.

(1) Vide *Ontologiam*, num. 19, pag. 58.

Objic. 3.^o Plura nequeunt unum simpliciter facere, nisi participant aliquid ipsis commune, quod sit unum per identitatem; si enim nihil habeant commune, sed singula sint singulis propria, non dabitur unitas, sed pluralitas. Ergo materia et forma, ut unum per se facere possint, debent habere communem actum existentiae, ac proinde materia non habet suam partialem existentiam distinctam ab existentia formae.

Resp. neg. conseq. Unum enim illud commune, per quod materia et forma faciunt unum, est unio vel nexus, qui debet esse mutuus et communis partibus in unum copulatis. Secus objectio retorqueri potest in adversarios ipsos eadem vi: nam certum est materiam et formam efficere unam essentiam, eamque ex Thomistarum sententia prioriori ad existentiam. Quæro ergo quid sit illud commune, per quod materia et forma antecederent ad existentiam faciunt unam essentiam, nisi unio vel nexus substantialis? Plura videri possunt apud laudatos Auctores; sed his, puto, præoccupata manent præcipua adversariorum argumenta (1).

§ II.—PROPRIETATES MATERIÆ PRIMÆ.

Proprietates
materias
est
ingenerabilis
et incorruptibilis.

152. 1.^o **Materia dicitur ingenerabilis et incorruptibilis:** ingenerabilis, quia non potest produci per generationem, quæ est productio ex præsupposito subjecto, sed solum per creationem: incorruptibilis autem, quia destrui nequit corruptione proprie dicta, quæ est desitio rei, permanente subjecto; sed solum per annihilationem (2).

simplex,

2.^o **Materia prima est simplex,** id est non composita secundum essentiam; non est autem simplex, quatenus excludat partes integrantes, quemadmodum patebit ex dicendis circa quantitatem,

principium
passivum,

3.^o **Materia prima est principium passivum;** non enim est fons activitatis, quæ tota formæ tribuitur. Etenim cum activitas corporum varia sit pro varietate ipsorum specifica,

(1) Vide Suar. (disp. *Metaph.* 17, sect. 5), Lossada (*Physic. tract.* 1 disp. 2, cap. 4 seqq.), aliosque.

(2) Vide Arist. *Physicor.* lib. 1, text. 82.; et S. Th. ib. lect. 15; 1 p. quest. 46. a. 1, ad 3.^{um}

illi principio tribuenda est, a quo diversitas specierum proficiscitur, nimirum formæ substantiali. Aliunde vero materiæ apprimè competit ratio passivi principii ex propria conditione primi subjecti.

4.^o **Materia prima est radix quantitatis.** Nam cum materia et quantitas «inseparabiliter sese comitentur,» ita ut quidquid constet ex materia, quantitatem etiam habeat, et vicissim; «necesse est, ut inter se habeant aliquam naturalem connexionem. Cum autem materia sit substantia, et quantitas accidens, non possunt aliter connecti, nisi ut proprietates et essentia, radix seu fundamentum» (1). Accedit, quod in omnibus transmutationibus substantialibus quantitas corporis eadem remanet, prout manifeste patet ex perseverantia ponderis. Cum ergo in transmutationibus substantialibus non remaneant formæ, sed solum materia, signum est hanc, non autem illam, esse radicem quantitatis.

radix
quantitatis,

5.^o **Materia omnium corporum dicitur una,** id est ejusdem speciei. Idque colligi potest ex transmutationibus, quas corpora subeunt, potissimum cum ex simplicibus fit mixtum. Sane si forma substantialis totius mixti eadem est, etiam materia eadem sit, oportet. Sed materia mixti est eadem materia elementorum. Ergo omnia elementa, quæ venire in mixtionem queunt, conveniunt in materia. Jam vero oxygenium et hydrogenium misceri substantialiter possunt inter se et cum reliquis omnibus corporibus elementaribus. Ergo si materia sive oxygenii sive hydrogenii eadem est specifica cum materia cujuslibet alterius corporis simplicis, etiam materia omnium corporum simplicium eadem esse debet; siquidem *quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Accedit, quod omnis corporis materia prima convenit in eo, quod sit substantia quædam incompleta, primum subjectum et pura potentia physica; neque ullum adest indicium distinctionis materiæ in diversis corporibus.

et una specificè
in omnibus
corporibus.

Nec dicas sufficiens distinctionis signum esse posse, quod una materia dicat ordinem ad unam formam, et alia ad aliam.—Jam enim constare vidimus ex mixtione substantiali, nullam esse materiam cujuslibet corporis, saltem

(1) Suarez, Disp. *Metaph.* 13., lect. 14. n. 15.

sublunaris, quæ non possit alia forma actuari, et ita diversum corpus cum illa constituere. Dixi corporis saltem sublunaris, quia unitas materiæ primæ certior est in corporibus terrestribus, quam in sideris. Veteres quidem acriter disputabant, utrum materia sublunaris et corporum cælestium ejusdem foret speciei. Qua in controversia Alexander Halensis (1), S. Thomas (2), Henricus, Richardus et alii apud Conimbricenses (3), quos deinceps secuti sunt Capreolus (4), Cajetanus (5), Ferrariensis (6), Hispalensis (7), Suarez (8), Conimbricenses (9), Pererius (10), Valentia (11), Rubius (12), aliique negantem opinionem tenuerunt. Verum Magister Sententiarum (13), S. Bonaventura (14), Scotus (15), Ægidius, Ockam, Argentinas, Abulensis (16), Molina (17), Rhodus (18), Soarez lusitanus (19), Mastrius (20), aliique censent materiam corporum cælestium et sublunarium eandem esse specificè: quam doctrinam fatetur P. Antonius Rubius communem fuisse apud Philosophos Aristotele antiquiores, eandemque propugnasse plures Patres dicuntur (21). Controversia hæc veterum, quam historice tantum relatum

- (1) 2 p. quæst. 44, membr. 2.
- (2) 1 p. quæst. 66, art. 2; *Physicor.* lib. 8, lect. 21; *de Cælo et Mund.* lib. 1, lect. 6; 2.^a dist. 12, quæst. 1, art. 1.
- (3) *De Cælo*, lib. 1, cap. 2, quæst. 6, art. 2.
- (4) 2.^a dist. 12, quæst. 1, art. 1.
- (5) In 1.^{am} part., quæst. 66, art. 2.
- (6) In lib. 3.^{am} *Contr. Gent.*, cap. 20.
- (7) 2.^a dist. 12, quæst. 1.
- (8) *Disp.* 13, *Metaph.* sect. 11; et *de Oper. sex dier.* lib. 1, cap. 3, n. 6.
- (9) *Loc. nup. cit.*
- (10) *De Communibus etc.* lib. 5, cap. 10.
- (11) In 1.^{am} part., disp. 5, quæst. 2, punct. 1.
- (12) *De Cælo*, lib. 1, cap. 2, quæst. 6.
- (13) *Sententiar.* 2.^a dist. 12.
- (14) 2.^a dist. 12, art. 2, quæst. 1.
- (15) 2.^a dist. 14, quæst. 1.
- (16) Apud Rubium, *loc. cit.*
- (17) In 1.^{am} part., *de Oper. sex dier.* disp. 5.
- (18) *Philos. perp.*, lib. 2, disp. 8, quæst. 1, sect. 1, paragr. 2.
- (19) *Physic.* tract. 1, disp. 2, sect. 6.
- (20) *De Cæl. et Mund.*, disp. 2, quæst. 2, art. 2.
- (21) Apud Conimbric., *loc. cit.*, quæst. 6, art. 1 fin.

voluimus, cum illa alia intime consorta erat, utrum cæli corruptibiles sint, an vero incorruptibiles. Nunc autem Astronomi de cælestium corporum natura longe perfectiorem notitiam assecuti sunt, et ope spectroscopii signa et indicia sat manifesta detexerunt corporum ejusdem speciei cum hisce nostris corporibus sublunaribus. Quare si astra iisdem, quibus ipsa tellus, corporibus coalescit, tenendum consequenter est, materiam quoque illorum ejusdem prorsus esse speciei cum materia prima inferiorum horum corporum.

Ex hac materiæ primæ unitate specifica in omnibus corporibus et ex ratione puræ potentiæ, illud fortasse haud absurde colligi potest, materiam primam non multum distare a materia corporea prout eam ponunt puri atomistæ, eandem in omnibus corporibus etiam specificè diversis et contradistinctam ab atomorum motu et cæteris affectionibus, unde illi repetunt totam specificam rationem ac varietatem corporum. Quid enim, quæso, est illa materia nisi substantia quædam prorsus iners ac passiva, vere pura potentia, nullum ex se habens actum perfectionis, sed eam aliunde recipiens? Differt tamen in immensum sententia peripatetica ab atomismo, quia atomistæ præter ejusmodi materiam nihil aliud substantiale requirunt ad constituendam essentiam corporis, sed tantum accidentia quædam, puta figuram, motum, varium atomorum ordinem, densitatem; Peripatetici vero existimant materiam non esse nisi partem, eamque imperfectissimam, corporis, quæ altera comparte, forma substantiali, actuanda sit, ut corpus in suo esse ac specie constituat, nihil enim accidentale valet suum esse specificum corpori tribuere.

6.^o Materia præterea dicitur per se ipsam cognosci non posse, nisi in relatione ad formam (1). Cujus rei ratio desumitur ex conditione subjecti et puræ potentiæ, unde fit, ut essentialem respectum includat ad formam, ac proinde neque possit cognosci ratione sui. Verum est formam etiam implicare essentialem respectum ad materiam informandam. Sed nihilominus forma substantialis ratione majoris perfectionis,

(1) Vide S. Th. *Physic.*, lib. 1, lect. 13, paragr. c. Cfr. 1 part., quæst. 15, art. 3, ad 3.

qua gaudet, est enim principium et fons specificæ perfectionis atque activitatis in corporibus, potest etiam absolute concipi. Materia vero ob minimam suam entitatem, quia est *prope nihil*, ut Augustiniano utar modo loquendi, non potest a nobis intelligi, nisi ut *subsans* alicui formæ. Hinc tantam reperit S. Augustinus difficultatem, ut aliquam sibi in mente exprimeret materiæ primæ imaginem.

Materia
formam appetit
innato
appetitu.

7.^o **Materia denique dicitur appetere formam**, intellige appetitu innato. Et ratio est, quia materia naturaliter ordinatur ad formam tamquam bonum suum connaturale, quo substantialiter completur. Atqui nomine appetitus innati vel naturalis designatur huiusmodi nativa ordinatio rei ad bonum sibi conveniens. Apposite S. Thomas: *Sciendum est... quod omne, quod appetit aliquid, vel cognoscit ipsum, et se ordinat in illud, vel tendit in ipsum ex ordinatione et directione alicujus cognoscentis, sicut sagitta tendit in determinatum signum ex directione et ordinatione sagittantis. Nihil est igitur aliud appetitus naturalis, quam ordinatio aliorum secundum propriam naturam in finem suum. Non solum autem aliquod ens in actu per virtutem activam ordinatur in suum finem, sed etiam materia secundum quod est in potentia, nam forma est finis materiæ. Nihil igitur est aliud materiam appetere formam, quam eam ordinari ad formam, ut potentia ad actum. Et quia sub quacumque forma sit, adhuc remanet in potentia ad aliam formam, ideo est ei semper appetitus formæ, non propter fastidium formæ, quam habet, nec propter hoc, quod quærat contraria esse simul, sed quia est in potentia ad alias formas, dum unam habet in actu (1). Cætera, quæ de hoc appetitu materiæ disputabant veteres, videri possunt apud Lossada (2) et alios.*

Utrum
materia possit
existere absque
forma,
sic naturaliter,

153. **Unum restat nobis quærendum de materia**, quod ad appetitum formæ spectat, nimirum utrum ita formam appetat, ut esse sine illa in rerum natura non possit. Quod saltem citra miraculum nequeat materia esse omni forma spoliata, communis est Scholasticorum doctrina, paucis

(1) S. Th., lib. 1. *Physicor.*, lect. 15, paragr. e.

(2) Lossada, *Curs. Philos.*, tom. 2, tract. 1, disp. 3, c. 1.

exceptis apud Eximium Doctorem (1). Resque probari potest primo ex inductione et experientia: semper enim et ubique substantiæ corporeæ occurrunt omnino completæ secundum suum esse ac speciem; materia vero non est aliquid completum sed incompletum, ut patet ex dictis. Atque hinc etiam sumitur ratio ad idem probandum: nam natura non facit res incompletas ac deficientes, sed naturali sua perfectione instructas. Atqui forma est naturalis perfectio et complementum substantiale materiæ. Ergo materia non potest fieri, atque adeo nec esse sine forma.

Nec mihi opponas 1.^o in contrarium rationalem animam, quæ quamvis et ipsa sit substantia incompleta, potest vivere, ac porro vivit, a corpore separata.—**Nam anima rationalis** cum habeat operationem a materia intrinsece independentem, potest etiam suum esse extra illam conservare citra miraculum, atque adeo quando corpus ineptum redditur ad functiones vitæ vegetativæ et sensibilis, desinit illud informare, et sic separata perdurat. Verum materia, quia ex se est prorsus pura potentia, nisi per formam compleatur, remanet prorsus incapax operandi, atque adeo inutilis penitus in rerum natura. Quare incompletio materiæ primæ, accedente summa ejus imperfectione, in causa est, cur spectato naturali ordine nequeat sola existere.

Dices 2.^o materiam initio creatam fuisse sine forma, prout inuitur illis sacræ Paginæ verbis: *Terra autem erat inanis et vacua* (2).—**Verum respondeo, negando** assertum cum communissima Scholasticorum interpretatione; verusque sensus istorum verborum superius expositus est, cum de mundi creatione ageretur.

Dices 3.^o Materia non potest dependere a forma in existendo. Ergo potest etiam naturaliter sola sine forma existere. Prob. antec. Materia vel penderet a forma in existendo a priori vel a posteriori. Non a priori, quia ex nostra sententia forma non est causa existentie materiæ. Neque etiam a posteriori: hæc enim duo, *dependere et a posteriori*, videntur in

(1) Disp. 15 *Metaph.*, sect. 8, n. 6. Cf. Lossada, *Physic.*, tract. 1, disp. 2, cap. 3, n. 1.

(2) *Genes.* cap. 1 v. 2.

videre est apud Conimbricenses (1), Complutenses (2), Joannem a S. Thoma (3), et Goudinum (4); quibus adhærent e nostra Societate P. Sylvester Maurus (5), et quidam recentiores. Affirmant unanimi consensu Scotistæ cum Subtili Doctore (6) aliisque non paucis veteribus Scholasticis; et Nostri etiam communissime cum Doctore Eximio (7), Fonseca (8), Toletio (9), Valentia (10), Rubio (11), Conimbricensibus (12), et ipso Cosma Alemannio (13), cujus ea inter alias præcipua laus prædicatur, virum fuisse Aquinatis studiosissimum, a cujus doctrinis ac sententiis nec transversum unguem discesserit, quemadmodum ipsemet profitetur in sui operis præfatio; et ita putat se hac etiam in re Magistrum suum fidelissime sequi, quamvis alii contrariam esse mentem Angelici arbitrentur. Hanc alteram opinionem non veretur etiam tenere P. Dominicus Soto, insignis Thomista et præclarum S. Ordinis Prædicatorum decus, qui quamvis concedat S. Thomam aliter sentire, illiusque doctrinam probabilissimam esse, existimat nihilominus «Deum posse materiam sine forma servare. Neque in hoc puto, inquit, derogari gravissimæ auctoritati S. Thomæ, tum quia res non est tanti momenti, tum quia non nego, quin in principiis persistendo Aristotelis probabilissima est ejus sententia, quam quicumque potest optime sustinere. Et forsitan ego fallor» (14).

Age vero acriter disputatur inter Philosophos, utrum materia prima saltem divinitus conservari possit sine ulla forma substantiali. Negant communissime Thomistæ, ut

sive etiam spectata divina potentia.

(1) Lossada, *Physic.* tract. 1 disp. 3, cap. 3, n. 19-20. Vide totam hanc controversiam apud Suarez disp. 15. *Metaphys.* sect. 8.

videre est apud Conimbricenses (1), Complutenses (2), Joannem a S. Thoma (3), et Goudinum (4); quibus adhærent e nostra Societate P. Sylvester Maurus (5), et quidam recentiores. Affirmant unanimi consensu Scotistæ cum Subtili Doctore (6) aliisque non paucis veteribus Scholasticis; et Nostri etiam communissime cum Doctore Eximio (7), Fonseca (8), Toletio (9), Valentia (10), Rubio (11), Conimbricensibus (12), et ipso Cosma Alemannio (13), cujus ea inter alias præcipua laus prædicatur, virum fuisse Aquinatis studiosissimum, a cujus doctrinis ac sententiis nec transversum unguem discesserit, quemadmodum ipsemet profitetur in sui operis præfatio; et ita putat se hac etiam in re Magistrum suum fidelissime sequi, quamvis alii contrariam esse mentem Angelici arbitrentur. Hanc alteram opinionem non veretur etiam tenere P. Dominicus Soto, insignis Thomista et præclarum S. Ordinis Prædicatorum decus, qui quamvis concedat S. Thomam aliter sentire, illiusque doctrinam probabilissimam esse, existimat nihilominus «Deum posse materiam sine forma servare. Neque in hoc puto, inquit, derogari gravissimæ auctoritati S. Thomæ, tum quia res non est tanti momenti, tum quia non nego, quin in principiis persistendo Aristotelis probabilissima est ejus sententia, quam quicumque potest optime sustinere. Et forsitan ego fallor» (14).

(1) *Physicor.* lib. 1, cap. 9, quæst. 6, art. 1.

(2) *Physic.* disp. 3, quæst. 6.

(3) *Physic.* quæst. 3, art. 3.

(4) *Philosoph. juxta inconcussa* etc. tom. 2. *Prim. pars Physic.* disp. 1, quæst. 2, art. 4.

(5) *Quæstiones philos.* lib. 2, quæst. 7, ad 8.^{um}.

(6) Vide apud Mastrium (*Physic.* disp. 2, quæst. 3, art. 2), Pontium (*Physic.* disp. 3, quæst. 5), Frassen (*Physic.* sect. 1, quæst. 2).

(7) *Disp. Metaph.* 15, sect. 9.

(8) *Metaph.* lib. 8, cap. 1, quæst. 1, sect. 4. *

(9) *Physicor.* lib. 1, quæst. 13, *Et mihi placet.*

(10) In .^{um} part. disp. 15, quæst. 2, punct. 1.

(11) *Physicor.* lib. 1, cap. 8, tract. *de Materia*, quæst. 5.

(12) *Loc. nup. cit.*

(13) *Summ. philos.* prima secundæ, quæst. 3, art. 2 ad 2.^{um}.

(14) R. P. Fratris Dominici Soto Segoviensis... *Super Octo libros Physicorum Aristotelis commentaria*, super 1.^{um}, lib. quæst. 6, art. 2. conclus. 2.^a

Judicium
Auctoris.

Et hæc nobis quoque sententia probabilior videtur.
1.^o Quia tribuenda est Deo potentia efficiendi totum id, in quo nulla ostenditur repugnantia. Sed nulla ostenditur repugnantia in eo, quod materia existat sine forma. Ergo... Minor patet tum ex difficultatum solutione, tum quia materia sua gaudet essentia et existentia distincta realiter ab essentia et existentia formæ.

Prob. 2.^o Potest accidens per virtutem divinam conservari separatim a substantia, itemque forma substantialis materialis, v. g. anima canina, a materia, quemadmodum concedunt Thomistæ communissime. Ergo poterit etiam materia prima esse sine forma substantiali.

Prob. conseq. et paritatem. Materia enim non minus absoluta entitas est, quam forma, sive substantialis sive accidentalis; ac deinde magis videtur dependere accidens a subjecto, et forma substantialis materialis a materia, quam materia a forma, quia illæ pendent a priori tamquam a vera causa materiali sui esse, materia vero solum pendet a posteriori, non vero tamquam a causa physica, prout superius explicatum manet, sed tantum tamquam a causa finali, quæ nihil refert in præsentem, siquidem finis potest causare, quin existat physice. Cum ergo forma nec intrinsece constituat materiam, nec existentiam eidem tribuat; non satis apparet, quid aliud præstet, adeo essenziale ac necessarium, quod nequeat suppleri per omnipotentiam divinam, sicut suppletur causalitas materialis substantiæ in conservatione accidentium separatorum. Immo vero etiamsi forma tribueret materiæ suam existentiam, nondum satis cernitur, quare non posset Deus illam efficienter supplere, potissimum admissa opinione Thomistarum relate ad existentiam Humanitatis Christi Domini. Si enim potest, operante Deo, sanctissima illa Humanitas, exuta sua propria humana existentia, existere per existentiam Verbi, cur non posset etiam materia, quamvis naturaliter non existeret nisi per existentiam formæ, aliam divinitus existentiam accipere, et sicut exuta omni forma in rerum natura permanere?

Dices, rationem, cur non possit materia forma privari non esse, quia nequeat existentia, quam forma communicat, per divinam virtutem suppleri; sed quia materia sine forma

non est omnino capax existentia.—Verum respondeo, negando assertum. Nam omne ens reale est capax existentia, ut patet ex ipso conceptu entis realis, quod non aliter differt a chimerico, nisi quia potest existere. Atqui materia immediate et ratione sui ac pro priori ad formam est ens reale. Ergo etiam immediate ac ratione sui est capax existentia.

154. Objic. 1.^o Si materia existeret sine forma, simul existeret, et non existeret: quod contradictorium est. Existeret ex suppositione. Non existeret autem, quia impossibilis est effectus formalis sine forma. Sed existere est effectus formalis formæ. Ergo materia sine forma reapse non existeret.

Quaedam
difficultates
soluæ.

Resp. neg. Major. Ad probationem secundi membri, *dist.* Major. Impossibilis est effectus formalis primarius sine forma, *conc.* secundarius, *subdist.*; naturaliter, *conc.*, per divinam virtutem, *neg.* (1) Tum *neg.* Minor. Itaque objectio nihil evincit, tum quia existentia materiæ non est effectus formalis formæ, tum quia etiamsi foret, foret secundarius dumtaxat, et posset a Deo suppleri.

Objic. 2.^o Si materia existeret sine forma, esset ens in actu sine actu. Atqui hoc implicat in terminis. Ergo.—Resp. Materia existens sine forma esset ens in actu entitativo vel metaphysico, qui est existentia, sine actu formali physico: in quo nulla videtur esse repugnantia vel contradictio.

Objic. 3.^o Materia sine forma est incapax existentia. Etenim α) existentia est actus entis completi. Sed materia sine forma est ens incompletum. β) Forma est actus primus entis, existentia vero est actus ultimus. Sed nihil est capax actus ultimi, quin prius informetur primo. Ergo sicut v. g. actus vitalis seu operatio vitæ supponit vitam in actu primo vel principium vitæ, ita materia formam, sine qua proinde non potest esse.

Resp. neg. assert. Ad probationem α) *dist.* Major. Existentia est actus entis completi, naturaliter loquendo, *trans.*; quamquam propositio hæc non est omnino vera, nam anima etiam rationalis, quamvis sit incompleta secundum naturam, potest tamen existere extra corpus. Existentia est

actus completi, ita ut ne per virtutem quidem divinam possit quidpiam incompletum existere, *neg.*

Ad probation. 3) *dist.* Major. Forma est actus primus entis physicus, *conc.*; entitativus, *neg.*; nam existentia cum sit actus entitativus, re identificatus cum quavis essentia physica, quæ non sit pure possibilis, non est re vera ultimus actus, sed potius primus (1). Adjunctum porro exemplum actus vitalis non urget; tum quia operatio vitæ est actus secundus respectu vitalis principii; tum quia principium ejusmodi requiritur per modum causæ efficientis et capacitatis ad ipsas operationes vitales. Nondum autem probarunt adversarii hoc modo se habere formam substantialem respectu existentiae materiæ.

Objic. 3.^o Repugnat esse accidentale sine forma accidentali. Ergo etiam repugnat esse substantiale sine formæ substantiali.—*Resp. neg.* conseq. Cum enim omne accidens sit forma, siquidem est ens alteri inhærens, repugnat esse accidentale sine forma accidentali; at non omnis substantia est forma, nec proinde repugnat esse substantiale sine forma substantiali.

Objic. 4.^o Non minus repugnat quidpiam esse in rerum natura, quod ad nullam entis speciem pertineat, quam esse v. g. animal, quod nec sit rationale nec irrationale. Atqui materia per seipsam est indifferens ad varias species entis, nec determinatur nisi per formam. Ergo repugnat materiam esse sine forma.

Resp. 1.^o Retorqueo argumentum, quod si quid probat, probat etiam neque formam substantialem posse existere extra materiam: est enim et ipsa ens incompletum, quod ad nullam entis speciem pertinet.

Resp. 2.^o *dist.* Major. Non minus repugnat esse aliquod quod ad nullam entis, sive completi sive incompleti, speciem pertineat etc., *conc.*; quod ad nullam entis completi speciem pertineat, *neg.* Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq. Species enim et genera sunt entia prædicamentalia. Quare cum ens prædicamentale debeat esse completum, vel certe instar completi concipi (2), nec materia nec forma neque ulla alia incompleta

(1) Cfr. *Ontolog.* n. 252, pag. 716, 717.

(2) Vide *Ontolog.*, n. 272, pag. 786, 787.

substantia proprie speciem habet. Nihilominus quia nihil est sine sua essentia, et species non est nisi essentia rei, materia suo modo habet speciem quamdam, essentiam nempe propriam entis incompleti, puræ potentiæ etc.: et hoc modo etiam definitur, quamvis certum aliunde sit propriam definitionem exprimere specificam rei rationem. Et hoc modo etiam solemne fuit Scholasticis, et ipsis Thomistis, ut nuper vidimus, inquirere utrum materia sublunaris sit ejusdem speciei, ac materia cælestium corporum.

Objic. 5.^o *Omne esse est a forma*, ut scribit Bœtius (1). Deinde si materia existit sine forma, jam desinit esse pura potentia, vel certe non erit in potentia, nisi ad actum accidentalem. Ergo materia sine forma esse non potest.

Resp. ad primum, *dist.* assertum. Omne esse completum in specie ac perfectum, *conc.*: esse incompletum, *neg.* Ad alterum, *neg.* simpliciter antecedens, ut constat ex superius dictis de materiæ propria existentia. *Esse* enim proprium et identificatum cum materia, non illam extrahit nisi ex potentia objectiva seu ex statu possibilitatis, ac tantum constituit illam potentiam physicam vel realem, quin ullum actum physicum vel formalem tribuat, existentia enim non est forma. Ergo materia adhuc cum sua existentia propria et partiali remanet purissima potentia physica, et compleri potest, ac debet, substantialiter per formam ad constituendum corpus.

Objic. 6.^o Nullum ens potest privare suo fine primario: Sed finis primarius materiæ est forma substantialis. Ergo.

Resp. 1.^o Retorqueo argumentum in accidentibus eucharisticis, quæ etiam privantur suo fine primario.

Resp. 2.^o *dist.* Major. Nullum ens potest privari suo fine primario essentialiter debito, *conc.*, naturaliter tantum debito, *neg.* Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq.

Objic. 7.^o Materia nequit existere sine omni accidentali forma, saltem sine ubicatione. Ergo multo minus sine substantiali: 1.^o quia materia magis indiget forma substantiali, quam accidentali, siquidem ab illa magis perficitur. 2.^o Quia quæ magis accedunt ad unitatem, magis inseparabilia sunt. Materia vero et forma, utpote quæ unum per se efficiunt,

(1) *De Trinit.*, cap. 3; et in *Opusc. de Unit. et Uno.*